

praeservatio a mortalibus, et consequenter perseverantia in bono; est enim *antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur*, ait Concil. Trid. sess. 13 cap. 2.

Tertius, est ineffabilis unio cum Christo, ex Concil. Florent. *Hujus sacramenti effectus... est adunatio hominis ad Christum.*

Quartus, est imminutio fomitis peccati: *Diminuit lamen fomitem ex quadam consequentia*, ait Div. Thom. 3. p. q. 79. art. 6. ad 3. *In quantum auget charitatem quia sicut August. dicit, augmentum charitatis, est diminutio cupiditatis.*

Quintus, est quod sit pignus futurae gloriae, et semen resurrectionis, Joann. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum... resuscitabo eum in novissimo die.*

Sextus, est quod remittat per accidens peccatum mortale, si, nempe, percipiatur ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet; forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequitur per hoc *Sacramentum gratia charitatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati*, ait D. Thom. quaest. 78. art. 3.

Quaeres 3. *Quandom Eucharistia in suscipient producat suum effectum?*

Resp. Tunc producit, cum in stomachum projecta est, quia tunc verum est dicere quod nutriat vitam spiritualem animae.

Quaeres 4. *Utrum affectus ad peccatum veniale impedit effectum Eucharistiae?*

Resp. Licet impedit fervorem charitatis, et dulcedinem refectionis actualis, non tamen impedit augmentum gratiae habitualis, vel charitatis, ut docet D. Thom. 1. p. q. 80. art. 8.

Quaeres 5. *Utrum Eucharistia, quatenus est Sacramentum, aliis quam sumentibus, prodesse possit?*

Resp. 1. Non potest prodesse *directe et ex opere operato*, quia per modum cibi fuit instituta; at cibus non prodest nisi sumenti.

Resp. 2. Potest prodesse *indirecte, et ex opere operantis*, si nimirum communicans in aliorum gratiam Communionem suam offerat.

CAPUT II.

De Eucharistia prout est Sacrificium.

Quaeres 1. *Quomodo definatur Sacrificium proprium dictum?*

Resp. Definitur, *Oblatio externa rei sensibilis, legitime instituta, soli Deo, a legitimo ministro facta, per realem Hostiae immutationem, ad testandum Dei supremum dominium in omnes creatureas, et nostram subjectionem.*

Dicitur 1. *Oblatio externa rei sensibilis, ut excludatur a ratione Sacrificii proprie dicti oblatio interna, qua quis se suaque Deo offert.*

Dicitur 2. *Legitime instituta, nempe a Deo, qui hanc sibi potestatem in utroque Testamento reservavit.*

Dicitur 3. *Soli Deo facta; quia est cultus latiae, qui soli Deo exhiberi potest.*

Dicitur 4. *A legitimo ministro, id est, a persona ad id specialiter a Deo deputata.*

Dicitur 5. *Per realem hostiae immutationem, quae fit vel per destructionem, quomodo animalia occidebantur: vel per mutationem status, quomodo caper emissarius tanquam exul ejiciebatur in desertum.*

Dicitur 6. *Ad testandum, &c. Ut habeatur finis sacrificii.*

Quaeres 2. *Quomodo in lege veteri sacrificium dividetur ratione materiae?*

Resp. Dividebatur in victimas; quae erant ex ani-

mantibus: *immolationes*, quae erant ex rebus inanimis, seu solidis, v. gr. farina, pane &c. Et *libamina*, quae erant ex rebus liquidis, v. gr. vino, oleo, &c.

Quaeres 3. *Quomodo dividebatur ratione formae?*

Resp. Dividebatur in *holocaustum*, in quo res oblatata tota cremabatur. *Hostiam pro peccato*, cuius pars cremabatur, altera cedebat in usum Sacerdotium, qui in atrio templi ex ea vescebantur. Et *hostiam pacificam*, cuius una pars cremabatur, altera cedebat in usum Sacerdotum et offerentium.

Quaeres 4. *Quomodo dividitur ratione finis?*

Resp. Dividitur in *latreuticum*, quod offertur ad Deum latraria colendum. *Eucharisticum*, quod offertur ad gratias Deo pro beneficiis ab eo acceptis referendas. *Imperatorium*, quod offertur ad obtinenda a Deo beneficia. Et *propitiatorium*, quod offertur pro remissione peccatorum.

Nota. Agemus hic. 1. de existentia et essentia sacrificii Missae. 2. De ejusdem efficacia, et valore. 3. De ejus causa efficiente, et iis pro quibus applicari potest. 4. De stipendio celebrantibus concesso. 5. De circumstantiis ad celebrationem requisitis.

§. I. *De existentia et essentia sacrificii Missae.*

Quaeres 1. *Utrum Missa sit verum ac proprie dictum sacrificium?*

Resp. affirm. Prout Conc. Trid. sess. 22. can. 1. definit: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Ratio est, quia in Missa fit 1. *oblatio*, nempe Corporis et Sanguinis Christi tanquam hostiae. 2. *illa oblatio est externa rei sensibilis*; nam Corpus et Sanguis Christi sunt sensibilia per species panis et vini. 3. *Est legitime instituta a Christo*, nempe, cum Apostolis

dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* 4. *Fit soli Deo*, et quidem a legitimo ministro, nempe a Sacerdotibus, quos instituit, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, prout Concil. Trid. can. 2. definit. 5. *Fit per realem hostiae immutationem*, quia Christus victima in Missa mystice immolatur, quatenus vi verborum, tanquam gladio spirituali, Sanguis ejus a Corpore separatur, ad recognoscendum supremum Dei dominium.

Objicies. Christus per sacrificium crucis omnia nobis meruit: *una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, ait Apost. *Hebr. 10.* Ergo Missae Sacrificium est injuriosum cruci Christi; ergo non datur.

Resp. Nego conseq. Quia 1. Sacrificium Missae idem est cum Sacrificio crucis, sola offerendi ratione diversa. 2. Quia sacrificium Missae nihil addit meritis passionis Christi, sed solum ea nobis applicat, quae Christus pro nobis in cruce meritus est.

Inst. Eucharistia est Sacramentum; ergo non est Sacrificium: haec enim duo pugnant inter se.

Resp. Nego conseq. Est enim utrumque sub diverso respectu, nempe, est Sacramentum, quatenus tendit ad sanctificationem hominis efficiendam; est etiam Sacrificium, quatenus directe et primario tendit ad recognoscendum supremum Dei in omnes creaturas dominium.

Quaeres 2. *In quo praecise Missae ritu consistat tota Sacrificii essentia?*

Resp. Consistit in sola consecratione; nam sola consecratio est actio quam Sacerdos exercet in persona Christi, dicens: *Hoc est Corpus meum*; ergo &c.

Objicies 1. In consecratione Corpus et Sanguis Christi non destruuntur; ergo.

Resp. Dist. ant. Non destruuntur cruentis, conc. mystice, nego. Nam yi verborum Corpus separatur a San-

guine, et ideo Christus ibi est ut immolatus.

Inst. Christus per consecrationem producitur; ergo non destruitur.

Resp. Producitur per actionem sacrificativam, unde una eademque actione producitur et immolatur.

Objicies 2. In die Parasceves non fit consecratio, et tamen fit Sacrificium; ergo.

Resp. Nego 2. partem ani. Ritus enim ille non est Sacrificium, sed mera commemoratione Sacrificii, quod pridie fuit oblatum, unde vocatur Missa praesanctificatorum.

Ergo, *essentia sacrificii non consistit in obtatione panis et vini ante consecrationem*, 1. quia non est instituta a Christo; 2. quia panis et vinum non sunt hostia Sacrificii. *Nec consistit in oblatione Corporis et Sanguinis post consecrationem*: nam 1. non est instituta a Christo; 2. in hac oblatione nulla fit victimae oblatio. *Nec consistit in fractione et commixtione specierum*; quia per illas actiones victimae nec offertur, nec immutatur. *Nec consistit in communione Sacerdotis*; nam actio sacrificativa debet esse propria Sacerdotis; atqui communio est communis Sacerdoti et Laicis; ergo &c. Equidem communio Sacerdotis requiritur ad perfectionem integralem Sacrificii, sed non ad essentiam.

Quaeres 3. *Utrum ad essentiam Sacrificii necessaria sit utriusque speciei consecratio?*

Resp. affirm. Nam in iis quae sunt intitutionis divinae, quidquid est necessarium jure et precepto divino, ad essentiam rei institutae pertinet; atqui *consecratio* utriusque speciei est necessaria jure et precepto divino; juxta illud, *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo, &c.

Objicies. Per consecrationem unius speciei, Christus ponitur in altari tamquam victimae; ergo nihil deest ad Sacrificium.

Resp. Nego conseq. Deest enim expressa significatio

mortis Christi, quae in separatione utriusque speciei repraesentari debet juxta Christi institutionem.

Inst. Per separationem animae a corpore sufficienter repraesentatur Sacrificium crucis: atqui per consecrationem unius speciei separatur anima a corpore, quia vi verborum est corpus exangue; ergo.

Resp. Nego maj. Quia Sacrificium crucis debet repraesentari per causam mortis, effusionem nempe sanguinis; atqui talem effusionem proxime et immediate repraesentat utriusque speciei consecratio, mors vero non nisi mediate et consequenter; ergo, &c.

§. II. De efficacia et valore Sacrificii Missae.

Quaeres 1. *Quid sua efficacia comprehendat Missae Sacrificium.*

Resp. Comprehendit omnia antiquae legis Sacrificia; nam

1. *Est latreuticum*: offertur enim Deo ad testandum supremum ejus in omnes creaturas dominium.

2. *Est Eucharisticum*: nam offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis.

3. *Est impetratorium*: nam habet vim impetrandi omnia beneficiorum genera, in hypothesi quod ex Dei ordinatione conferant ad salutem: *Pro infirmis, et terae, et maris, et universi orbis fructibus sacrificamus*, ait D. Chrysost. *Homil.* 71. *in Joann.*

4. *Est propitiatorium*; quia est institutum in remissionem peccatorum, Matthaei 26. *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Hinc. Concil. Trid. sess. 22. can. 3. definit: *Si quis dixerit Missae Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium, vel soli prodesset sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offeri debere, anathema sit*. Porro hos effectus producit

ex opere operato, cum idem Conc. Trid. dicat: *Illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.*

Objicies. Si Sacrificium Missae peccata dimittat, inutile erit Sacramentum Poenitentiae; falsum conseq. ergo.

Resp. Dist. maj. Si peccata dimittat immediate, conc. mediate tantum, nego. Enim vero Sacraenta remittunt peccata immediate, Sacrificium vero peccata non dimittit, *quoad culpam*, nisi mediate, quatenus, nempe, intuitu hujus Sacrificii Deus peccatori, pro quo oblatum est, largitur gratias actuales, quibus movetur ad poenitentiam, disponiturque ad Sacramentum Poenitentiae, in quo immediate fit peccatorum remissio.

Quaeres 2. Utrum valor Sacrificii Missae sit infinitus?

Resp. 1. Est infinitus ex parte rei oblatae et *quoad sufficientiam*, nam idem est cum Sacrificio crucis, sola offerendi ratione diversa, ait Conc. Trid. sess. 22. can. 2. Atqui Sacrificium crucis valore et pretio est infinitum; ergo, &c.

Resp. 2. Est finitus et determinatus *quoad applicationem*; quia, ut magis excitetur pietas fidelium, et frequentior hujus Sacrificii procuretur celebratio, Christus non vult meritum suaee passionis applicare, secundum totam latitudinem virtutis suaee, ut constat 1. ex praxi Ecclesiae, quae plures Missas ad eandem rem impetràndam celebrari permittit. 2. Ex damnatione hujus propos. ab Alex. VII. *Non est contra justitiam pluribus Sacrificiis stipendum accipere, et unum Sacrificium offerre.*

§. III. De causa efficientie Sacrificii Missae, et ius pro quibus applicari potest.

Quaeres 1. Quinam sit principalis offerens in Sacrificio Missae?

Resp. Est Christus, qui ideo dicitur, *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* quia Sacrifacium Corporis et Sanguinis sui sub speciebus panis et vini offert, ministerio Sacerdotum, usque ad consummationem saeculi.

Quaeres 2. Quinam sit Sacrificii Missae minister?

Resp. Sunt soli Sacerdotes rite per Episcopum ordinati, quibus solis Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Quaeres 3. Utrum Sacerdos potestatem specialem habeat fructum Missae applicandi?

Resp. Tres sunt fructus Sacrificii portiones: 1. Est generalis, quae toti Ecclesiae advenit, et principaliter omnibus qui in Canone Missae exprimuntur. Haec a Christo ipso applicatur. 2. Est specialis, quae ipsis celebranti advenit, etiamsi, accepto stipendio pro aliis celebret. 3. Est ea quae ipsis advenit, pro quibus Sacerdos celebrare intendit: de hac potest disponere pro libitu: non vero de fructu speciali, qui ex natura sua pertinet ad Sacerdotem.

Quaeres 4. Qualis requiratur intentio in Missae applicatione?

Resp. Requiritur et sufficit intentio habitualis, non retractata; nam illa applicatio se habet per modum donationis, quae valida est, donec retractetur.

Quaeres 5. Pro quibus non licet offerre Missae Sacrificium?

Resp. Non licet offerre, 1. pro infidelibus, haereticis, et publice excommunicatis; quia Ecclesia eos a suis orationibus et suffragiis excludit. 2. Pro damnatis, quia, cum in inferno nulla sit redemptio, non sunt capaces fructus Sacrificii.

Quaeres 6. Pro quibus licitum est offerre Missae Sacrificium?

Resp. 1. Offerre licitum est pro omnibus fidelibus, sive justis, ut eis prosit ad augmentum justitiae; sive

peccatoribus, ut eis prosit ad poenitentiam, ut constat ex Canone Missae, ubi sic loquitur Sacerdos: *Haec sancta Sacrificia illibata quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica.... et omnibus Orthodoxis atque Catholicae et Apostolicae Ecclesiae cultoribus.* Ergo nullum Ecclesiae membrum excludit.

Resp. 2. Rite offertur pro animabus Purgatorii, ut definivit Concil. Trident. sess. 22. can. 3. *Si quis dixerit Missae Sacrificium.... neque pro vivis et defunctis offerri debere, anathema sit.* Quae definitio fundatur in Scriptura, 3. Machab. 12. et traditione Apostolica, ut docet D. Chrysost. Hom. 69. *Non temere ab Apostolis haec sancta fuere, inquit, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratione.*

Quaeres 7. *Utrum Missae Sacrificium offeratur Sanctis?*

Resp. Non offertur Sanctis, sed Deo in honorem Sanctorum, ut definivit Concil. Trid. sess. 22. can. 3. *Si quis dixerit imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtainenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

§ IV. De stipendio Celebrantibus concessu

Quaeres 1. *Quo titulo liceat Sacerdoti stipendium pro Missa accipere?*

Resp. Potest stipendium accipere, 1. pro honesta sustentatione, 1. Cor. 9. *Nescitis quoniam qui in Sacraario operantur, quae de Sacraario sunt, edunt: et qui Altari deserviunt, cum Altari participant?* 2. Pro labore Missae extrinseco, v. gr. quod tali hora, tali loco, &c. sit celebranda, ea enim sunt pretio aestimabilia. Justum autem stipendium, illud est quod usu recepto, vel faxa Episcopi est determinatum.

Quaeres 2. *Utrum Sacerdos, qui minora stipendia accepit pro pluribus Missis, possit Missas reducere ad numerum proportionatum solito stipendio?*

Resp. Non potest, ut statuit Urbanus VIII. quia ubi stipendum, licet minus congruum, acceptavit, obligationem induit Missam integrum celebrandi.

Quaeres 3. *Utrum liceat Sacerdoti duplicatum percipere pro eadem Missa?*

Resp. Non potest, ut declaravit Alex. VII in damnatione prop. contrariae.

Quaeres 4. *Utrum Sacerdos qui pinguius accepit stipendum, possit alium Sacerdotem hac Missa onerare pro minori, licet justo, stipendo?*

Resp. Non potest, quia nullum titulum habet retainendi; ut definierunt Urbanus VIII. et Alex. VII.

Quaeres 5. *Utrum beneficiarius, qui ratione beneficii tenetur certis diebus celebrare, possit pro eadem Missa stipendium ab aliis accipere, eisque fructum Sacrificii applicare?*

Resp. Non potest, quia duplicatum acciperet pro eadem Missa.

Quaeres 6. *Utrum liceat Sacerdoti stipendia accipere pro multis Missis, quas praevidet nonnisi multo post tempore celebrari posse?*

Resp. Non licet, nisi adsit consensus saltem prae sumptus offerentium; nam Sacrificium offerri solet pro iis rebus, quae urgent. Hinc Urbanus VIII. decrevit non licere Sacerdoti Missis sese onerare, quibus intra duos menses non potest satisfacere.

Quaeres 7. *Quid si necessitas sit urgens, nec moram patiatur v. gr. pro puerpera, agonizante? &c.*

Resp. In tali casu Sacerdos non potest absque gravi peccato et restitutionis obligatione, Missae celebrationem differre; quia non datur stipendium, ni sub conditione quod Sacrificium, stante causa, offeratur.

§ V. De circumstantiis ad celebrationem requisitis.

Quaeres 1. *Quo tempore liceat celebrare?*

Resp. Quolibet die, exceptis die Parasceves, et Sab-

bato sancto, in quo unica Missa solemnis in singulis Ecclesias dici potest: ut constat ex praxi Ecclesiae, decretis SS. Pontificum firmata.

Quaeres 2. Qua hora liceat celebrare?

Resp. Ab aurora ad meridiem, ut fert consuetudo Ecclesiae firmata a Pio V. constit. *Sanctissimus....* Excipitur 1. prima Missa Nativitatis Domini quae celebratur media nocte. 2. Casus necessitatis. 3. Consuetudo legitime praescripta, vel ab Episcopo saltem tacite approbata.

Quaeres 3. In quo loco debeat celebrari Missa?

Resp. 1. Jure communi debet celebrari in Ecclesia, vel alio loco ab Episcopo consecrato, vel saltem auctoritate Episcopi benedicto, ut statuit Conc. Trid. decreto *De observ. in Sacrif. Missae....* Dixi: *Jure communi:* nam ex privilegio potest celebrari in castris pro exercitu, in littore maris pro navigantibus, &c.

Resp. 2. Debet celebrari in altari lapideo, ab Episcopo, aut ex concessione solius Papae ab alio Sacerdote consecrato, ut statuit, *cap. altaria, de consec. dist. 1.*

Quaeres 4. Quibus ornamentis instructum debet esse altare, ut in eo rite celebrari possit?

Resp. 1. Debet esset ornatum triplici mappa linea, vel ad minus duplici, quarum prima sit duplicata, eaque ab Episcopo, vel alio habente talem potestatem benedictae.... 2. Debet esse instructum corporali et purificatorio lineis ab Episcopo benedictis; item palla linea, saltem qua parte calicem tangit; eaque benedicta.... 3. In eo debet esse crucifixus exsculptus, nisi expositum sit SS. Sacramentum.... 4. Debent esse duo luminaria cerea; tamen in casu necessitatis unum sufficit, imo in casu gravioris necessitatis, candela ex sebo adhiberi potest.

Quaeres 5. Quaenam vasa requirantur ad celebrationem?

Resp. Requiruntur calix et patena ex auro vel argento, vel saltem cogente paupertate, ex stanno, eaque ab Episcopo, vel alio, ex privilegio Papae, consecrata, *cap. calix, de consecr. dist. 1.*

Quaeres 6. Quotuplicis generis sint rubricae Missalis?

Resp. Aliae sunt directoriae tantum, *aliae obligatoriae;* vel graviter, vel leviter, juxta gravitatem, vel levitatem materiae et significationis ab Ecclesia intentae.

Quaeres 7. Quaenam rubricae sunt tantummodo directoriae?

Resp. Sunt sequentes: 1. Quod Sacerdos celebratus prius vacet orationi. 2. Quod praemittat preces quae dicuntur: *Praeparatio ad Missam.* 3. Quod matutinum et laudes ante celebrationem persolverit, dum officium a Missa discrepat.

Quaeres 8. Quaenam rubricae sunt obligatoriae?

Resp. Sunt 1. Quod Sacerdos recitet preces inter se vestiendum recitari solitas. 2. Quod induat vestem talarem. 3. Quod recite Missam officio conformem in diebus duplicibus, in quibus potest dici unica Missa de requiem, corpore praesente. 4. Quod Missam celebret sine intermissione, nisi gravis necessitas urgeat. 5. Quod nihil detrahatur aut addatur eis quae in Missali praescripta sunt.

DISSERTATIO V.

De Poenitentia.

Quaeres 1. Quot modis accipitur poenitentia?

Resp. Duobus modis, nimurum, prout est virtus, et prout est novae legis Sacramentum.

Quaeres 2. Quid sit poenitentiae virtus?